Dilecte fili nobilis Vir, salutem et Apostolicam benedictionem. Nondum responsum a te acceperamus ad eas litteras, quas ad te de mense Octobris misimus; per quas paterno animo te hortabamur et monebamus, Ut, quoniam Sanctalbanum quendam praefectum Urbi tuae ditionis Auraicae, a te impositum, constabat haereticum esse, et haereticorum ducem atque fautorem, haereticisque undecunque eo confluentibus Urbem illam tuam tanquam asylum quoddam hostium Ecclesiae et veluti alteram Genevam patefecisse, non sine gravissima Catholicorum omnium offensione et scandalo, maxima nominis tui labe, et salutis aeternae periculo, hominem tam impium ab eius Urbis regimine sine mora removeres, aliosque haereticos externos, qui tum magnam partem Comitatus nostri Venayssini Auraicae finitimum, occupatam tenebant, et gravissimis calamitatibus populos ditionis Ecclesiae afficere non desistebant; nobiscum una expellendos curares. Nondum scimus, idque non parum miramur, ecquid te paterna hortatio nostra tantum, quantum confidebamus, moverit, ecquid cogitaris consulere famae et existimationi tuae. Etsi autem nos, favente Deo, postea recepimus oppida et loca omnia Comitatus nostri Venayssini; expulsa inde illa haereticorum et facinorosorum hominum manu; tamen quoad praefectus ille Auraicae manebit, et id receptaculum haereticis patebit, nihil tantis sumptibus et laboribus profectum esse intelligimus: nec Civitatem nostram Avinionensem, tam Auraicae propinquam, et Comitatum Venayssinum tuta fore a contagione illius pestis, et a latrociniis hominum egentium ac perditorum. Quocirca iterum nobilitatem tuam vehementer hortandam, monendam et rogandam duximus, Ut quae adhuc ibi acta sunt, indigna pristina existimatione tua, ac aliena ab officio Catholici Viri, qualis a nobis et ab omnibus aliis semper es habitus, sine mora et cunctatione ulla corrigas et emendes. Cogita quaesumus fili, et diligenter tecum ipse considera et attende, quam indignum sit, dominari in Urbe illa tua tam manifestum haereticum et tam acrem Catholicae religionis atque Ecclesiae hostem: Consilium totum eiusque Advocatum seu Procuratorem, et omnes fere alios

officiales ac Magistratus eius Vrbis haereticos ee: Non iam Iustitiae
ministros, Sed haereticae prauitatis Magistros et personarum simplicium
corruptores: Recipi ibi quotquot ex Comitatu Venayssino et alijs ex locis
illic confluant haereticos: fugatum ee inde aut certe metu abesse Episco-
pum et alios Ecclesiasticos ac religiosos atque omnes fere Catholicos; Sublata ee
Diuina in Ecclijs officia, Occlusum ac interdictum Catholicis Concionatoribus
aditum: Haereticorum ministros, Vt vocant, in Vrbe et Castellis ac locis ei
ciuitati subiectis publice, perniciosa et pestifera sua dogmata profiteri
ac praedicare: Monasteriorum et Ecclesiarum reditus haereticorum arbitratu, et qui-
dem sicut accepimus, id quod dolenter referimus, permissu tuo diuidi
ac dispensari, nempe in Dei et Sanctae Religionis hostium subsidia et
alimenta conferri. Heu dilecte fili, quam haec Deo inuisa, quam
Calamitosa illi Ciuitati tuae, quam acerba Catholicis omnibus sunt, quam turpem
notam nomini tuo inurunt. Heu quam grauem in te Dei iram excitatura
sunt, nisi ea festinaueris corrigere, sicut te et genere tuo dignum est: noli
quaesumus abuti diutius patientia et longanimitate Dei: Caue ipsius
iram tibi thesaurizes: terribilis est, et auferens Spiritum principum:
Noli praebere aures malis prauisque suasoribus.: Audi nos qui non tua sed te
diligimus, qui existimationi, qui saluti tuae, consultum cupimus, desine
sperare Vllam societatem ee posse haereticis cum Catholicis. Remoue
illa ex Vrbe, et expelle quam primum praefectum illum Vna cum Satellitibus
suis, equitibus et peditibus, similibus.: Quibus qualescunque sint, pacata iam
illa regione, non indiges: Exire coge Vna cum ipsis quotquot ibi sunt hae-
retici externi, neue posthac ipsi, aut eorum similes, in ea Vrbe Castellisue
et locis illis eius principatus recipiantur, ne quem corrumpere possint.
Mutato edicto et propositis grauibus poenis prohibe, da operam, submisso statim
gubernatore homine probo atque Catholico, et in consiliariorum atque officia-
lium haereticorum locum bonis et catholicis surrogatis, Vt Ciues Auraicenses
et eius Principatus incolae, qui a Veritate Catholicae fidei aberrarint, a
pestifero haereticorum consortio liberati, praeteritis erratis huiusmodi sibi
remissis et condonatis (Sicut nos quoque subditis nostris ad sanitatem redire
Volentibus ea remisimus:) ad Ecclesiam Catholicam reuertantur, ac fidem illam

Sächsisches Hauptstaatsarchiv Dresden
Geheimer Rat (Geheimes Archiv), Locat 8510/5, Schreiben, f. 124 r-125 v
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/118

quam Sacro Sancta Tridentina Synodus, diuino auxilio paulo ante tam fe-
liciter peracta, docuit, amplectatur ac teneant. Cura Vt Episcopus vna cum
Clero et Religiosorum conuentib. et alijs Catholicis in eam Ciuitatem reuerti et
tuto ibi manere ac diuina officia pristino Ecclesiae Catholicae ritu celebrare posset,
receptis Ecclesijs, cum reditib. et domib. suis. Haec sunt quae a te fieri postu-
lamus: quae si feceris, Vt speramus, adparebit omnib. Vrbem illam in ditione esse
principis Vere Catholici. Nos autem retinebimus bonam illam opinionem quam
de te semper habuimus, et pristina erga te Voluntate manebimus.

Gratias autem agemus Deo quod ea quae contra diuinae suae maiestatis honorem
in Sanctae Ecclesiae suae dedecus, in maximam nostram et Sanctae huius sedis iniuriam
ac contumeliam acta sunt, ipso cor tuum illuminante, Vt pius et deuotus
noster et Ecclesiae filius correxeris. Sin autem tuo officio, quod absit, non functus
fueris, nos quidem fungemur nostro, et ea consilia inibimus, easque Vias et rationes
tentabimus, quib. tantam pestem, antequam vehementius corroboretur, inde ejici-
amus, ac imminens oppidis atque hominib. ditionis Ecclesiasticae periculum
depellamus, ad quod, si Vires nostrae et Sanctae Romanae Ecclesiae non sufficient,
ad omnia auxilia et remedia descendemus. Quod si euenerint ea
quae fortasse non putas, non nobis id; sed tibi, qui paterna monita nostra
neglexeris tribuere et imputare debebis. Inuiti quidem quicquam,
quod tibi molestum futurum sit, faciemus; Sed si tuam ipse famam et
salutem minus diliges, nos officio et conscientiae nostrae, Deique honori, et huius
Sanctae Sedis ~~[illegible]~~ existimationi consulemus, et quacumque ratione poterimus
illorum nostrorum fidelium et dilectorum populorum quieti, paci et securitati, atque
animarum saluti prospiciemus. Datum Romae apud Sanctum Petrum Sub annulo
piscatoris. die Vicesima nona Decembris Anno. M.D.LXIII. Ponti-
ficatus nostri IIII.

Subscriptum.

An. Florebellus Lauellinus

Superscriptum.

Dilecto filio nobili Viro Guilielmo Principi Aurayicensi etc.

Sächsisches Hauptstaatsarchiv Dresden
Geheimer Rat (Geheimes Archiv), Locat 8510/5, Schreiben, f. 124 r-125 v
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/118